

monstrant, adeo non fuisse Monothelitico errore infectum, ut potius disertis eum errorem verbis proscripterit. Quamobrem hinc inde sedulo libratis omnibus, quæ hactenus sive pro Honorio, sive contra Honorium allata sunt, rationum momentis, in eam sententiam libens ire censui, quam olim, edita luculentissima Apologia, tradidere. Auctores omni exceptione maiores, Johannes Quartus Romanus Pontifex, & Sanctus Maximus, Abbas, & Martyr, atque Monothelitarum flagellum.

Patere igitur, SANCTISSIME PATER, ut quæ me potissimum ad id de illibata Honori fide affirmandum per pulere rationes, integerimo supremoque Sanctitatis Tuæ judicio subjiciam. *Decessor meus* (ita ⁽¹⁾ de Honorio scribit Johannes IV., ipsius olim amanuensis, postea in Sede Apostolica Successor:) *Decessor meus docens de mysterio Incarnationis Christi, dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis*

⁽¹⁾ In Epist. ad Constantium Imperat. Heraclii filium. Tom. vi. Concil. Labb. Edit. Venet. anni 1729. pag.
1514.